

offensas ulcisceris, et Dei tui non vindicabis iniurias tam atroces? Ad hereditates tuorum manus invasorum extendi non pateris, et patieris hereditatis Dominice tanto tempore detentores? Ne igitur in Deo periculose dissimules, quod iuste non tolerares, in homine pungat cor tuum tui contumelia Creatoris, accendat te zelus fidei Christiane, ut sic in forti manu et extento brachio terre memorate subvenias, quod insinuat nobis subventionis tue proposito ante faciem aliorum te fructuose ponamus exemplar, in tuis laudibus gloriantes, tibi que accrescat cumulus meritorum non solum ex hiis^x, que feceris per te ipsum, sed ex aliis etiam, que facti tui similitudine subsequantur. Datum Lateran.

Scriptum est^y in eundem modum ..^z Regi Ungarie. Iustus Dominus et cetera usque desiderat Terra Sancta. O quantum *usque* ad succursum Ungaria inimicis crucis terribilis se pararet, *usque* misso. Absit, ut in peculiari bello Dei filii gens tibi subiecta solvat *usque* futuro. Hinc est, quod excellentiam tuam affectuose rogamus et a te instanter exposcimus obsecrantes *et cetera usque in finem*.

In eundem modum aliis regibus quibusdam verbis mutandis competenter mutatis.

.. illustri regi Anglorum. Iustus Dominus *et cetera usque* desiderat Terra Sancta. Sensit enim quis, qualis et quantus ei fuerit illustris memorie rex Riccardus, cuius nomen sic in terrorem hostium fidei creverat, quod exclamatio eius in prelio nonnumquam sufficiebat ad stragem. Et forte non deest, quid^a hostes adhuc in proximo sanguinis metuant, dummodo resurgat patruī dextera in nepote. Illud etiam non duximus omittendum, quod, cum in thronum regni crucesignato successeris, decet, ut et in crucis obsequium te votivum exhibeas successorem, quia, si patris debita legitimus heres exolves, expedit non minus celesti quam terreno satisfieri creditori, presertim cum favor crucis persone tue per Dei gratiam satis fuerit fructuosus. Certe ad id gens tibi subiecta plenius desiderii et totis viribus debet assurgere, quia non sine nota in peculiari bello Dei filii *et cetera usque* in futuro. Hinc est, quod excellentiam tuam affectuose rogamus obsecrantes *et cetera usque in finem*.

Scriptum est universis Christi fidelibus per Tarantasiensem provinciam constitutis. Iustus Dominus *et cetera usque* ad sui restaurationem nego-

x) iis E.

y) deest E.

z) *gemmipunctus* deest E.

a) quod E.